

esset Deus. atque hanc præcipuam habent clauam, qua conficiantur Ariani, qui solum Patrem verè volunt esse Deum. Atqui si veris agere fas est, quid magni tribuit Paulus Christo, si cùm Deus esset natura, intellexit id non esse rapinæ, hoc est, nouit seipsum? Illud autem compertum est, nusquam maiorem vim fieri Scripturis sacris, quàm vbi cum hæreticis agentes nihil non detorqueamus ad victoriam, tametsi non video quid hic locus propriè faciat aduersus Arianos. *Quæ sote, Erasme, si mercedem ab Arianis accepisses, poteràsne diligentius causam illorum agere? Augustini Catholicam explicationem refellis, Maximini Arianam amplecteris. Hunc locum præcipuam esse clauam Catholicorum contra Arium non negas, & tamen hanc ipsam clauam nihil valere dicis, quid ergo restat, ut dicas, nisi meliorem esse causam Arianorum, quàm Catholicorum? Quid si tuam illam Annotationem his addamus, quam fecisti ad postremum caput epistolæ primæ sancti Ioannis? nonne eo loco totis viribus contendis verba Domini: Ego & Pater vnum sumus; & illa discipuli: Et hi tres vnum sunt, non de vnitatenatura, cum omnibus Patribus, sed de vinculo charitatis, cum Arianis, intelligi debere? & in operibus sancti Augustini ad marginem libri primi contra Maximinum, vbi vna atque eadem asseritur Dei natura, quis notationem illam adiecit, non vna numero, nisi Erasmus? & quid manifestius dixerunt vnquam Veritatem?*

*Sed mittamus Erasmus, atque ad Lutherum veniamus. Martinus igitur LUTHERVS contra Iacobum Latomum scribens: Anima mea, inquit, odit hoc verbum <sup>quod dicitur</sup>. Quid, quæso, vel sentiret, vel diceret aliud Arius, si ab inferis nunc existeret? Nam tota illa tragædia, quæ Ecclesiam tot annis miserè vexauit, ac vastauit, propter hanc vnâ vocem excitata est; cùm Patres Catholici nihil aliud suis libris & Conciliis conarentur, quàm hanc sententiam stabilire, quæ Christum hominison Patri esse docet. Hæretici contra nihil aliud decem conciliabulis suis, igni quoque & ferro, armis & exercitibus molirentur, quàm vocem hanc eandem abolere.*

*Sed audiamus inauditam calumniam & mendacium eiusdem Lutheri. In eodem contra Latomum libro affirmat, hanc ipsam vocem sancto Hieronymo displicuisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitretur. Neque hoc Lutheri per incogitantiam, aut lapsum calami excidisse putemus, id enim rursum repetit in libro de Conciliis, in hæc verba: Sanctus Hieronymus vehementer perturbatus lamentabiles literas scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulum <sup>quod dicitur</sup>. Quid faciemus hominibus istis, qui causam non querunt tueri suam, nisi fraudibus & mendaciis? Nam S. Hieronymus eo*

loco,